






*Sammlung*













3. 4

**B. LUTHERI NATI MEMORIA.**

*Hoc est:*


**INCOMPARABILIS ET ADMIRAN-  
DI ECCLESIAE, AB HORRENDIS PONTIFI-  
CIORVM CORRUPTELIS, REFORMATORIS  
ORTHODOXI, D. M. LUTHERI DE-  
FENSIO,**

*In quâ à frivolis quibusdam Romanensium calum-  
nijs, tum ad immortalem Viri de Ecclesiâ DEI optimè meriti  
honorè conservandum, tum ad salvificæ veritatis autori-  
tatem integrè posteritati traducendam, tum ad ingenuam  
aperta mentis Confessionem Patronis atq; præceptoribus suis  
semper honoratissimis testificandam, B. LUTERVS  
pro viribus vindica-  
tur.*

In modum orationis aut dissertationis stylo tenui  
composita, & publicè mense Novembri Anno 1613.  
in Academia VVITTEBERGENSI  
recitata,

**A JOHANNE CLOSIO WRATISLA-  
VIENSI SILESIO.**

Jam ad quorundam instantiam & postulationem cum permissu  
superiorum typis publicis commissa,



WITTEBERGÆ,

Typis Gormannianis, Impensis Pauli Helwichij.

Anno clō Ioc XVI.



ILLUSTRISSIMO CELSISSIMO Q; PRINCIPI  
AC DOMINO, DOMINO

C A R O L O,

DUCI MONSTERBERGENSI, IN SILESIA AC OLS-  
NENSI, COMITI GLACENSI DOMINO IN STERN-  
BERG ET JAISCHWIZ,

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, Supremo per Superiorem ac  
inferiorem Silesiam Capitaneo,

*Patriæ Patri Optimo,*

*Ob senium omnium ordinum hominibus æqui studiosis honoratissimo,*

*Ob pietatem beneficijs divinis cumulatissimo,*

*Ob deliberationum prudentiam universæ Silesiæ publicum ad bonum unicè exoptatiss.,*

*Ob actionum dexteram rectitudinem sibi patriæq; felicissimo,*

*Ob magnificam in Ecclesiam Dei liberalitatem, non hominibus modò privatis, sed &  
illustrioribus Orthodoxæ veritatis seminarijs Academijs, & Provincijs Ger-  
maniae, benefactori Celeberrimo,*

*Religionis purioris nutritio fidelissimo,*

*Rerum publ. Defensori perquam validissimo,*

*Concordiæ per Silesiam pacisq; custodi cum omnium admiratione meritissimo,*

*Demarcho tam Superis ( DEO ac Angelis, ) quam incolis Silesiæ, Ordinibus, Vrbi-  
bibus, Subditis, gratissimo,*

*Patriæ toti tum ad ornamntum singulare, tum ad emolumentum  
insigne, ( utinam diu ) superstiti.*

*Principi, ac Domino suo Clementissimo,*

*Promotori inter primos Munifico,*

*Exiles has primitias Academicas, animo tamen è candido profectas, illinc & debite  
subjectionis ac observantia, & præstiti per Commendationem beneficij maxi-  
mi memor, hinc sub spe amplioris clementiæ & auxiliij, Illustrissima Celsitudini  
sua se substernendo commendans, debita cum honoris ac obsequiorum obfig-  
natione, dedicat & offert.*

Johannes Closius

*Autor.*


R E C T O R





RECTOR  
Academiae VVitteber-  
genfis

TOBIAS TANDLERUS  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICI-  
NÆ DOCTOR, AC PROFES-  
SOR PUBLI-  
CUS.



**T**si perpetuam  
assiduamque merentur  
prædicationem viri præ-  
clari dum viverent, de  
Ecclesia DEI totaq; po-  
steritate meriti: Tamen iis potissimum  
temporibus eorundem quotannis re-  
novari memoriam decet, quæ tempora  
DEUS illorum ortu nobilitare atq; insi-  
gnire voluit. Hoc enim nisi fiat, facile

A 2

ex



ex hominum animis deleri beneficiorū  
divinitus acceptorū recordatio potest.  
Cū ergo in fastis Christianis Martini  
Episcopi nomen superiorib. diebus ha-  
buerimus, à quo nomen omnis sanè  
faustissimi in sacrosancto Baptismo ac-  
cepit MARTINUS ille Lutherus, verita-  
tis cœlestis à sordibus Pontificiis repur-  
gatę asertor & propugnator magnani-  
mus & invictus: Rectè omnino faciunt,  
quicumque occasionem hinc sumunt  
prædicandi immensa æterni & miseri-  
cordis DEI beneficia, quæ ministerio B.  
Lutheri usus in Ecclesiam suam, & hanc  
in primis Ecclesiam, per annos propè  
centum contulit. Inter eos verò no-  
men jam suum profitetur *Johannes Clo-  
sius Vratislavia Silesius*. Is cū adole-  
scentiam inter hostes veritatis Evange-  
licæ egerit: Tanto magis devinctum  
atq; obligatum sese statuit ad prædican-  
dam DEI benignitatem, quanto magis  
olim ad oppugnandam eandem fuit in-  
cita-



citatus: Tantoq̄; gratiùs nunc luce frui-  
tur verbi divini purissima, quanto den-  
fioribus ante mendacij & errorum te-  
nebris obrutum atque demersum se fu-  
isse recordatur. Quamobrem cùm de-  
clarandæ erga DEUM gratitudinis, te-  
standæq̄; suæ de religione vera Confes-  
sionis & cum Ecclesia Orthodoxa con-  
sensionis gratia, in honorem B. Luthe-  
ri nostri orationem postea *hora II.* pub-  
licè sit habiturus: Hortamur omnes o-  
ptimarum artium & privatim veræ pie-  
tatis amantes ac Studiosos, ut post fini-  
tam concionem sacram, hora jam di-  
cta, in Auditorio Collegii novi maxi-  
mo frequentes conveniant. Nam &  
officium hoc debemus memoriæ illius  
viri, cujus in hanc Scholam, adeoq̄; uni-  
versam Patriam merita, nulla unquam  
pro dignitate celebrare poterit oratio:  
Et favorem benevolentiamq̄; omnium  
meretur. *Johannis Closii* conatus lau-  
datisimus: & ad exemplum imitatio-  
nis



nis pertinet, ut qui in eodem studij genere partes officii sui cupiunt implere, Cupere autem omnes debent: rectis præeuntium vestigijs insistere, assuescant. Omnino autem futurum confidimus, ut ex oratione recitata fructum auditores percipiant minimè pænitentidū. Faxit DEUS Academiæ hujus patronus ac defensor unicus, ut ad finē usque mundi inveniantur in hac Schola plurimi, qui ad divini nominis gloriam, & ad Ecclesiæ Scholæq; hujus decus atque emolumentum, studia sua & actiones dirigant universas. P. P. VVITTEBERGÆ, Dominica resuscitatæ ex mortuis filiæ JAIRI, & sanitati restitutæ Hæmorrhousæ, ANNO M. DC. XIII.



BEATI





BEATI LUTHERI  
Contra calumnias quas-  
dam Pontificiorum Apolo-  
gia.



*CANTATE DOMINO,  
psallite ei, annunciate de die  
in diem salutare ejus, recor-  
damini mirabilium ejus quæ  
fecit, letamini justi in Domi-  
no, & confitemini memorie  
sanctitatis ejus, quia lex facta  
est justo & rectis corde letitia. Celebrant cæli  
miraculum tuum Jehova, veritas tua est in  
Ecclesia sanctorum, & sancti tui benedicunt ti-  
bi. Pace veniaq; vestra, Patres Academiæ con-  
scripti, Rector Magnifice, Viri Reverendi, Con-  
sultissimi, Excellentissimi, Clariss: Tuq; Studio-  
sorum ornatissimorum concio nobilissima, pace  
inquam vestra, tum in conspectum vestrum  
amplissimum atq; jucundissimum prodire, ac  
preclarum hoc suggestum conscendere, tum ab  
illis Propheta regij, qui certè divino ductus spi-  
ritu,*

*Exordii.*

1. Paral.  
16. vers.  
9. & 23.  
v. 12.  
Psal. 97.  
v. 11. 12.  
Psal. 89.  
v. 6.  
Psal. 145.  
v. 10.



ritu, passim in hæc verba prorupit, verbis tenu-  
issimo mihi dissertationis hujus primordia cape-  
re liceat. Et si namq; Magnif. Rever. Clar. &  
Excell. ac Eruditiss. Humanitatis vestre splen-  
dor is est atq; autoritas, ut eandem, ego qui nec  
ingenij singulari quodam acumine, nec insi-  
gni doctrine notitiâ, multo minus expeditâ di-  
cendi copiâ quicquam polleo, partim omni jure  
maximeq; verear, partim etiam alijs, quos me  
longè superiores intelligo, provinciam hanc in  
me modo susceptam facilimè concesserim; ex ad-  
verso tamen, cum inter eos, qui proprijs in rebo  
peragendis solertissimi, in alienis autem judi-  
candis fuere semper æquissimi, jam me versari  
noverim, à vobis omnibus, Audit: colendiss; tam  
fidelidocentium institutione provocatus, quàm  
discentium industriâ peralacri commonitus e-  
go, quatenus & Illustrissimus Princeps CARO-  
LVs Dux Monstbergenensis, cum amplissimo Se-  
natu V Vratislaviensi, quorum clementia libe-  
ralitati ac favori peculiari, quod hinc vivo de-  
beo, & honorandissimi Domini Praeceptores mei,  
cursus Academici specimen utiq; debitum ac de-  
sideratum à me repetant, non solum elaborare  
cogor & adducor, verum etiam vosmet ad eme-  
ritam Deo benignissimo ( qui speciali in me col-  
lato



lato beneficio sibi illam vendicat) gloriam exhibendam, mihi peroptatam occasionem hodie nato verba dicitur esse facienda, pro dextertate vestra judicare poteritis. Redijt enim nudijs quintus dies ille jucundissimus, pijs omnibus perquam gratus, quo ante centum & triginta annos, admirandum illud Germania lumen B. Lutherus in hanc lucem, tum temporis caligine abominationum Pontificiarum plus quam cimmerijs tenebris obfuscatam & obductam, editus est. Mementote igitur diei hujus, quoniam hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo, dies hic est mensis Novembris decimus, in quo sicut decimo die mensis primi Deus liberationem ex servitute Aegyptiacam molitus est, ita hic reformationis opus exordiri, & expeditissimum ejusdem <sup>ὁμοειδὲς</sup> preparare quasi, cœpit divinae providentiæ bonitas & clementia. Quare non, uti superstitionum Ethnicarum emulatrix Ecclesia Pseudocatholica SS<sup>m</sup>. memoriam recolere consuevit, B. Luthero solennem natalis agimus recordationem. Gens certe Pontificiorum non minus stulta quam impia, dum annua sanctorum festa venerantur, coronas conficiunt, & suorum simulacrorum capiti imponunt, deos argenteos, aureos, ligneosq; ve-

B stimen-

Baruch. 6



stimentis, ac si essent homines, exornant, faciem  
eorum, propter pulverem qui pedibus ingredi-  
entium excitatur, extergunt, lucernas ijs ac-  
cendunt, & quidem plures quam sibi ipsis; ve-  
rum harum nullam simulacra videre possunt,  
facies eorum nigrescunt fumo in edibus orto  
obfuscatæ, nullum sensum habent, pedibus desti-  
tuti sanctuli portantur humeris hominum, nul-  
lus inest eis spiritus, sed suam ipsorum ignomi-  
niam hominibus ostentant, quin cultores etiam  
illorum pudore afficiuntur, & dum confidunt  
in idolis, cor eorum desipiens obtenebratum est,  
quippe cum se profiteantur esse sapientes, stulti  
facti sunt, & mortalis hominis imagine forma-  
tâ gloriam incorruptibilis Dei commutarunt.  
At nos divinis edocti oraculis, in presentia B.  
Luterum in memoriam nobis revocamus, &  
non ad normam Romani Pontificis, Prophetam  
nostrum de Ecclesiâ DEI cumulatissimè meri-  
tum cultu divino prosequimur, sed ad exem-  
plum Syracidæ Biblici, quicquid ab illo nobis sa-  
lubre propositum est, gratiæ divinæ acceptum  
ferimus, quicquid laudabile nobis ac imitatu di-  
gnum reliquit, obvius ulnis amplectimur, ple-  
nisq; buccinis depreciamus. Hæc est laus Do-  
mini in congregatione sanctorum, sic exulta-  
bunt



bunt sancti in gloria, decor iste erit omnibus misericordibus suis, ita sanctificabitur Dominus in propinquis suis, & in conspectu totius populi glorificabitur. Quare cum ex his omnibus, propositum meum sese, non ex vana ingenij exilis ostentatione, aut illicita laudis aviditate profectum, ipsum testetur & ostendat, omnem a vobis, Auditores Honoratissimi, malevolentiam ab futuram confido, tantoq; benigniorem mihi favorem vestrum arrisurum, quanto equiorem actus instantis rationem intelligitis, omnino polliceor ac indubitata mente spero. Sed quid inani aut ulteriori verborum profusione & *δειπλωματικόν* opus? ad ipsam rem potius, ne verborum lascivia ludere videar, neve diutius animus vester suspendatur, accessum facere convenit. Quare Dei spiritu me bene juvante (sine cuius numine nihil est in homine) quantum angustia temporis circumseptus assequi poterò, B. Lutheri reformationem Evangelicam contra Pontificiorum calumnias & tricipitis Romani Cerberi oblatratum triplicem, quo Beatissimo Patri nostro primò de doctrinae novitate, deinde de perjurij levitate, denique de peccandi libertate non veretur obloqui, defendere conabor. Quanquam enim talis est sal-

Proposicio.



Αἰολο-  
γία.  
Bernh.

Lactant.

sitatis & erroris conditio, ut etiam nullo sibi re-  
sistente consenscat ac defluat, quod futilissima-  
rum φλυαγίων Romanensium atq; μιλτωλῶν Esavi-  
ticorum eventus ac congeries hactenus suffi-  
cienter comprobavit, quamvis etiam è diverso  
veritatis status talis sit, ut etiam multis impu-  
gnantibus suscitetur & crescat, quod nostra-  
rum Ecclesiarum, à tempore repurgationis, do-  
ctrina, à Spiritu sancto per fidelissimum suum  
ministrum B. Lutherum reducta, cum eternâ  
plurimorum salute Draconisq; infernalis fre-  
mitu experta est, non tamen aut vobis ingra-  
tum, aut mihi laborem inanem, si veritatem per  
se manifestam, in mentem vobis reduxero, me  
suscepturum opinor, cum praesertim veritas, li-  
cet sine verborum multitudine possit defendi,  
claritate tamen sermonis illustranda quodam-  
modo d.fferenda sit & repetenda, ut potentius  
influat in animos, & visua instructa, & luce o-  
rationis ornata, veluti Theologorum ille Cice-  
ro Lactantius asseruit. Hoc autem ut dextrè  
& qua par est evidentiâ perficiam, ab inexbau-  
sto sapientiæ cœlestis fonte mentem meam irri-  
gari, linguamq; perfundi, à Magnif. Reveren-  
da, Dignitate, Excellentia, ac Humanitate  
vestra, ne cum repudio neq; tadio vestro dicam,  
aures



aures attentas animosq; benevolos, quatenus & vobis aliqua proveniat inde, iucunditas, mihi verò dicendi redundet alacritas ac levamen, dicturo tribui demissè peto. Magna profectò est humanæ mentis cœcitas, ut ea, partim propter naturalem illum innatæ sapientiæ defectû, partim ob indefessum illud Principis tenebrarum studium ac operam, qui densâ caligine mentes hominum obscurare laboriosissime nititur, rationi sæpius humanæ quàm veritati divini, imò plerumque assensum præbeat, ac ita videntes non videant & audientes non intelligant: Excœcationis hujus causas modo dictas ipsa scriptura nobis innuit; priorem illam Servator ipse discipulis suis exprobravit, Marci 8. nondum animadvertitis, ait, nec intelligitis, adhuc callo obductum habetis cor vestrum, posteriore hanc Paulus Corinthiis suis insinuat: Deus hujus sæculi, inquit, excœcavit mentes infidelibus, ad hoc, ne irradiet eos lumen Evangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Cœterum in genere cœcitate tali fuerunt hodieq; sunt involuti gentiles omnes, quotquot præconium gratiæ divini contempserunt, seq; ipsos vitâ aternâ indignos judicârunt, nec modò convertuntur: In specie istâ cœcitate depressi fuere

B 3 gens

Marc. 8.

2. Cor. 4.  
v. 4.



Sophon. 1  
vers. 17.  
Esa. 1.  
v. 13.

Matth. 23

Johan. 8.  
vers. 15.  
Joh. 9.

Esa. 59.

gens sancta populus electus, ipsi nimirum Judæi, quòd minatur Dominus. Ambulabunt ut cæci, quia Iehova peccaverunt, & apud Esaiam: Israel non cognovit, populus meus non intellexit. At ubi quis Phariseorum, qui se Legis peritos jaëtabant, in fimbrijs vestium Domini legem intextam circumgestabant, pertinaciam in historia legat Evangelica, an super eorundem cæcitate non obstupescat? Appellat eos Christus duces cæcos & stultos hypocritas, claudentes regnum cælorum, sepulchra dealbata, implentes mensuram Patrum suorum, hi quia secundum carnem judicant, ex splendidißimâ luce obscurati sunt, ut qui videbant, cæci fierent, propterea lucem expectaverunt & ecce tenebrae, splendores, & ecce in tenebris ambulaverunt, palpaverunt sicut cæci parietem, & velut ij qui absq; oculis sunt, attreëtaverunt, impegerunt in meridie, ut in crepusculo, in sepulchris sicut mortui. Veritas divina docuit Synedrion Pharisaicũ, id Doctorem hunc seductoris infamia blasphemavit: Omnipotentia Domini miracula, que certè divinitatem invictis modis arguebant, patravit, Synagoga Judaica Principi dæmoniorum ea designavit: In exhausta Christi comitas & clementia poenitentiam predic-



dicavit, Gens adulterina pertinaciam indurata-  
tam obseravit, Benignissimus Deus huic popu-  
lo speciale vocationis & Electionis privilegium  
per fidem Jesu Christi impertivit, at cum Eth-  
nicis conciliabulum Pharisaicum & cum his u-  
niversa cohors Dominum gloria crucifixit, vi-  
vum e medio sustulit, Dei beneficia pedibus con-  
trivit. Idem etiam Papiculis nostris, qui pri-  
mitivæ prædecessorum suorum Ecclesie opera  
prima reliquerunt, & relictis limpidissimis Is-  
raelis fontibus gregem Domini foetidissimis ad-  
inventionis humanae lacubus potarunt, usu ve-  
nisse, nemo pius unquam dubitaverit. Quod e-  
nim citra singularem animi perturbationem,  
ac multorum interitum perpetuum proferrine-  
quit, non tantum omnis religionis ignari, veriq;  
cultus divini expertes, intra spemq; metumq;  
dubij, mandatis hominum Deum, ante refor-  
mationem, à DEO per B. Luterum exhibi-  
tam, frustra coluerunt, verum etiam ac-  
censâ jam purioris doctrinae face Evangelium  
in se opertum esse affectatè voluerunt, ignota  
novitatis divinae veritatem insimulantes, &  
(prò dolor) in hodiernum usque diem accele-  
rantes exitio suo, pertinacissimè suam hanc  
sententiam, observant, tuentur, propugnant.  
Sed

Primæ  
calumnie  
Pontif.  
refutatio



I. Quæst.  
Primi  
membri.

*Sed nos maneamus in sermone Domini, verè discipuli Christi simus, cognoscamus veritatem, & veritas nos vindicabit. Ut hanc igitur gravissimam injuriam ab Evangelio propellamus, duo nobis ad lancem divinarum literarum expendenda sunt, quorum primum ex parte Pontificiorum, quibus probandum est: Num hodierna Romani Pontificis Ecclesia semper in vestigijs veritatis Evangelicæ, ac indeficientis in doctrina successionis perstiterit, pro maneat; alterum ex Ecclesiarum nostrarum doctrina, an eadem à norma præconiij Apostolici, sive per Evangelium patefacta salutis viâ regia recesserint, iisdem investigandum atq; demonstrandum venit. Intendant itaq; jam Romana meretricis satellites omnes ingenij nervos, concilient omnia Scholasticorum suorum portentosa scripta, consulant decrepita, quæ jam in scripturis exoleverunt, sua decreta, perquirant sua (parùm dicam) annis ab hinc quasi quingentis habita Concilia à vitio & pervertant, detorqueant alieno sensu scripturam omnem, se ipsos excrucient, ostensuri, se dependere à Doctrina Christi & Apostolorum, de quorum successione jactationis multum aucupantur; Tempore successerunt, religione recesserunt, potestatem politicam*



cam Apostolico cœtui denegatam assumpserunt,  
Et Ecclesiasticam Hierarchiam in Monarchiã  
Tyrannicam converterunt. Refert Eusebius  
de Polycarpo Apostolorum coetaneo martyre,  
quòd is, si forte impia dogmata audiret, aures  
obturans continuo exclamaverit: O bone Deus  
in qua me tempora reservasti ut hæc patiar?  
Quod si verò viperarum Esaviticarum atque  
Romanensium sibilum illum Tridentinum ante  
paucos annos conflatum audire vir sanctus de-  
buisset, in quos illum gemitus, in qua suspiria  
prorupisse arbitramini? Proinde veritatis ho-  
stibus errorem ac defectionem suam probatam  
damus primum à doctrinæ perversitate. Nam  
ne Synagoga Papistica de illata sibi injuriã pos-  
sit conqueri, cognoscite quaeso paucis, quemad-  
modum in præcipuos Christianæ religionis arti-  
culos impingat. Ledit initiò certè divinam ma-  
jestatem atrocissimè, dum ejusdem ordinem sa-  
luti nostræ propositum conatur evertere, quid  
dico conatur? imo factò ipso exsequitur. Im-  
mensa DEI Patris sapientia normam justitiæ  
sue, secundum quam homines vivere vellet, in  
decalogo præscripsit, ut lex esset quasi signum in  
manum nostram Et in memoriale inter oculos  
nostros, at hypocritis istis lex sancta quidem, Et

Eusebius  
lib. 5. c. 19.  
Histor  
Eccles.

Exo. 13, 9.

C man-



Rom. 7.  
v. 12.

Esa. I, v. 5.

Deut. 12,  
v. 8.

Ezech. 33.  
v. 20.

Deut. 4.  
v. 2.

Deut. 27.  
v. 26.

Apoc. 22.  
v. 18.

Jerem. 7.  
v. 12. & 23

mandatum illud sanctum bonum ac justum non  
sufficit, sed opera supererogationis contra divi-  
nam ordinationem & suarum virium facultate-  
m invenerunt, & inventa addiderunt. Quis  
a. hoc quaesivit de manu vestra? dicit Dominus!  
quandoquidem & alia lex est in membris nostris  
repugnans legi divinae. Jam quia majestas di-  
vina legem tulit; Non facietis singuli, quicquid  
rectum est in oculis suis, & iterum: non declina-  
bitis neq; ad dextram, neq; ad sinistram, sed per  
viam, quam praecepit Dominus Deus vester,  
ambulabitis; Pontificij dum opera Electitia re-  
lictis mandatis Domini suscipiunt, quid aliud,  
quam in Ezechiële vocem illam loquuntur ini-  
quissimam. Non est aqua via Domini? Commi-  
nationis divinae suaeque perditionis interim im-  
memores, ubi Iebova dicit; Non addetis adversus  
verbum quod ego praecipio vobis: Maledictus qui  
non statuerit verba Legis istius, & si quis adje-  
cerit ad haec, imponet illi Deus plagas scriptas in  
libro isto, quia non sum locutus Patribus vestris  
de holocaustis & victimis, sed verbum hoc pra-  
cepi eis: Obtemperate voci meae, & ambulate  
in omni via quam praecepero vobis, dicit Domi-  
nus omnipotens. Ignem ergo missatores Do-  
mino dum offert alienum, haud inconveniens  
est



est ijs illud Propheta : Hæc est gens quæ non obtemperat voci Jehovæ Domini sui, nec recipit disciplinam, perijt veritas & excisa est ab ore ipsorum. Præterea Dei Filius ab hominibus istis quibus contumelijs afficitur, dum ejusdem meritum horrendis modis extenuant, & Testamentum ejus ultimum in sacra Cœna constitutum, in Sacrificij quotidiani absurdum horrendum pervertunt? Qui credit in FILIUM habet in se vitam manentem æternam, inquit Scriptura : Quorsum autem commentum illud ac in Deum ipsum de fidei defectu blasphemia? Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvari sicut & Patres, absque operibus Legis ne quis gloriatur; Hæc autem generatio perversa per opera, tanquam causam salutis meritoriam sibi cœlorum possessionem vendicat. At ô scelus, ô sacrilegium, in institutione Eucharistica! Christus calicem bibendum portexit omnibus, hi verò filij seculi hujus sapientiæ Patris æterni, in quo thesauri Sapientiæ omnes abditi sunt, (scilicet) prudentiores, laicis eundem denegant, & cum ipsi cœlorum regnum ingredi nolint, nec alios ingredi permittentes, salutem æternam suffurantur.

Ibid. v. 28



Esa. 29.

33. v. b. d. l.

Prov. 8.

v. 8. & 9.

Prov. 30.

v. 5. & 6.

Johan. 5.

Luc. 16.

Ceterum tardate & admiramini super cœcitate gentis Pontificiæ, excœcati sunt doctores & populum excœcaverunt, operuit eos Jehova spiritu soporis, & clausit oculos eorum, prophetas & principes illorum qui vident operuit, quoniam est ipsis visio omnium verborum biblicorum, sicut verba Epistolæ ob signatæ, quæ propter imperfectam esse scripturam obganniunt. Damnat autem horrendam banc blasphemiam sententia cœlestis Sapientiæ gravissima, dicens: Injustitia Domini eloquia oris mei, non est in eis pravum nec perversum, universa recta sunt intelligenti & invenientibus scientiam: Damnat hanc effatum illud regis sapientissimi: Omnis sermo Dei velut igne purgatus, ne addas verbis ejus, ne forte increpet te & mendax deprehendaris: Condemnat denique istos aulae Romanæ Rabulas, partim Judeorum aliàs incredulorum opinio rectissima, qui in scripturis se vitam habere putabant, partim Abrahami electi ad damnatum epulonem, qua fratres ejusdem ad Legem & Prophetas remittebat, responsio. Surgent adversus hos in novissimo die sanctorum Prophetarum vaticinia, accusabunt eos sanctorum Apostolorum monimenta, impugnant sanctorum Patrum antiqua volumina, irascen-



irascentur eis omnia BB. agmina, quibus omnibus scripturarum autoritas in vita fuit miseriarum sublevatio, origo fidei, gratia confirmatio, salutis denique certissima institutio; quin & à spiritu Sancto tremendum expectare debent iudicium, à quo omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum & arguendum, à quo firmissimum sermonem Propheticum habemus, veluti lucernam splendentem in obscuro loco, (non enim libidine hominis allata est scriptura, sed à spiritu Sancto acti Dei homines locuti sunt.) Per immortalem queso Deum, in quantum à primis & orthodoxis illis Ecclesie primitivae Patribus, de quorum successione tantum gloriantur, moderni Romanenses aberrarunt? Honore & titulo successerunt, doctrinae professione non item. Loquantur vel unica D. Augustini scripta ejusdem de scriptura mentem; Afferamus, ait ille, divinam stateram de scripturis sanctis, & in illis quid sit gravius appendamus: Dominus enim nihil credi voluit contra confirmatam scripturarum autoritatem, Major est huius scripturae autoritas, quam omnis ingenij humani perspicacitas; Agnovit idem hanc scripturarum sufficientiam, ubi dicit: Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense

2. Tim. 3.

2. Petr. 1.  
v. 21.

August.  
de Bapt.  
contra  
Donatist.  
Contra  
Faust. lib.  
13. cap. 5.  
Lib. 15. super  
Gen.



Contra  
Maxim.  
Lib. 3.  
cap. 14.

De bap.  
parvulor.  
epist. 41.  
ad Vinc.

Cyrl. in  
Joan. lib.  
12. cap. 68.

Hieron.  
in Esa.

tanquam præjudicaturus proferre Concilium,  
nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris,  
scripturarum autoritatibus, res cum re, causa  
cum causâ, ratio cum ratione certet. Quare  
sanctarum scripturarum autoritatibus colla sub-  
denda sunt, ut ad intellectum quis que per fidem  
veniat. Hanc igitur ob causam scribit in Epi-  
stola quadam: Noli contra divina testimonia  
colligere ealumnias ex Episcoporum scriptis, ut  
Hilarij, Cypriani, & similium; Non n. sic legun-  
tur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte a-  
liter senserint, quàm veritas postulat. Anim-  
advertit hoc ex antiquissimis Cyrillus ita: que  
Scribentes tam ad mores, quàm dogmata suffi-  
cere putaverunt, scripta sunt. Expressit etiam  
hanc scripturarum ἀλήθειαν Hieronymus, qui  
scripturarum ignorantiam, ignorantiam Chri-  
sti statuebat, & quicquid de scripturis autori-  
tatē non habet, eadem facilitate contemni quā  
probari asseruit. Quid multis? Ut scripturam  
omnem humano judicio superiorem, ita certē  
mentis humane sagacitate longē perfectiorem  
perspectam habuit Athanasius, hanc vidit Ori-  
genes, hanc fassus est Basilius, his consensit Ire-  
neus, hanc veneratus est Gregorius Magnus  
jactavit etiam Chrysostomus. Ergo ne diutius  
istis



istis immoremur, sufficiunt sanctæ & divinitus  
in scriptura scriptura ad veritatis iudicationem.  
Necesse nobis est scripturas sanctas in testimo-  
nium vocare, sensus quippe nostri & enarratio-  
nes sine his testibus non habent fidem. Imò ma-  
nifestissimum infideliatis argumentum, signum  
superbia certissimum, si quis, eorum que scripta  
sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, que non  
scripta sunt, introducere, cum Dominus noster  
dicat: Oves meæ vocem meam audiunt, alienū  
autem non sequuntur, DEI voluntas in scri-  
pturis nobis tradita fundamentum & columna  
nostræ fidei. Nam in scripturis divinis quasi spe-  
culum nostræ mentis oculis opponitur, prohiben-  
tur mala, precipiuntur bona, conceduntur me-  
dia, suadentur perfecta, nulla poterit alia veræ  
Christianitatis esse probatio, quam scripturæ di-  
vine. Tantis & tot præclaris viris sufficiens  
fuit Doctoris Spir. S. per scripturas institutio,  
sed seductoribus istis, quia diametraliter illorū  
mendacijs & technis adversatur, veritas displicet  
atq; deficit. Heu miseræ hominum mentes,  
& pectora cæca, quam atrox in spiritum S. com-  
mittitur blasphemia, quam avulsa priscis ab  
orthodoxis admittitur novitas, quam tenebrosa  
veritatis ac salutis his immittitur ignorantia!

Quo-

Athanaſ.  
contra I-  
dola.  
Origen.  
in Jerem.

Bafilus  
tract. de  
vera &  
pia fide,

Ireneus  
lib. 3. c. 1.

Greg. in  
prolog.  
Moral. &  
in Moral.

Chrysoſt.  
in Matth.  
hom. 49.



Quomodo argentum illud purioris antiquitatis  
versum est in scoriam, quomodo facta est mere-  
trix civitas fidelis, quoniam sancti defecerunt,  
& fideles à filijs hominum, dicentes; Labia no-  
stra nobiscum, quis nobis Dominus? ideoq; dulce  
dicunt amarum, & amarum dulce, per adulte-  
rina sua scripta, per humana decreta, per illibe-  
ralia Concilia, per sanctiones alias ex perpendi-  
culo traditionis humane profluentes, que o-  
mnia jam ne calumniari videar, brevitatis a-  
more ductus silentio prateribo. Sed novum por-  
tenti genus & impietas detestanda, quã sacra-  
rum literarum sensum omnem explodunt, in-  
certitudo nempe, quam profiteri non verentur,  
gratie. Prò dolor, quàm fertilis est erroris fœ-  
cunditas. In electione priorum operum ab  
illis oppugnatur divina justitia, in scriptura-  
rum imperfectione improbatur sapientia, hic  
incertitudine gratia veritas & misericordie po-  
tentia redarguitur, labefactatur, deprimitur.  
Itane ergo spiritus adoptionis, per quem electi  
sumus in filios & hæredes Dei, cohæredes au-  
tem Christi, qui una cum spiritu nostro testa-  
tur, evanuit? itane divinarum promissionum  
veritas laborabit & flaccescet? Non est homo  
Deus ut mentiatur, & filius hominis, ut pœni-  
teat

Rom. 8.  
v. 15. & 16



teat eum, ipse dixit & non faciet? locutus est &  
 non prestabit? O amentes Papicola, quis vos  
 fascinavit, ne obsequeremini veritati primae?  
 quibus ob oculos Jesus Christus cum merito suo  
 prius erat depictus; qui gratiae fructum in aeter-  
 num ad gloriam, certum ejusdem *νεπίτηδες* in pra-  
 senti vita, ad spei ac consolationis copiam impe-  
 travit. Quorsum oratio Christiani quae pro-  
 hibetur fluctuare? quorsum Sacramenta gra-  
 tiam ob signantia, quae corda nostra confor-  
 tant? quorsum gloriatio nostra per Jesum Chri-  
 stum Dominum nostrum, per quem nunc re-  
 conciliationem assecuti sumus? A parte DEI  
 forsitan sat certa dicitis, à parte verò nostrà,  
 cum ob peccatum indigni simus, gratiae incer-  
 titudinem istam oriri censetis? Hoc ipsum, in-  
 quam, hoc ipsum opinari, gratiã vos excludit,  
 siquidem ei, qui non operatur, sed credit in eum  
 qui justificat impium, imputatur fides sua pro  
 justitia. Hoc ipso Adversarij Dominum qui  
 illos mercatus est, abnegant, libertatem alijs  
 pollicendo suis impietatibus, cum ipsi servi sint  
 corruptionis. Hoc ipso tum à Christo, tum Ec-  
 clesiam primam Catholicam se defecisse satis testan-  
 tur, quia praesumit Ecclesia non de suis meritis,  
 sed de Dei misericordia. Hinc itaq; quid infere-  
 D mus?

Num. 23.  
 v. 19.  
 Galat. 3.  
 vers. 1.

Jacob. 1.

Rom. 5.  
 v. 12.

Rom. 4.  
 v. 5.

2. Petr. 2.  
 v. 1. 19.

Bernh. in  
 Cant.  
 Serm. 8.



1. Tim. 1.  
v. 7.

1. Cor. 13.

Rom. 7.  
v. 12.

Matth. 7.

1. Tim. 3.  
v. 15.

Rom. 4.  
v. 2.

1. Cor. 13.  
v. 12.

1. Cor. 13.  
v. 12.

mus? Nihil profecto aliud, quam id, quod cum  
velint esse. Legis doctores, non intelligant, quid  
loquantur, neque in quibus asseverent. En enim  
ipsi figmenta sua, per hanc assertionem incerti-  
tudinibus refutant & posternunt; Ubi manebunt  
indulgentiae? expirabunt! Ubi vitae austeritas?  
evanescet! Ubi peregrinationes, eleemosyna,  
missarum fabrica, fundationes vigiliarum &  
similia? Teneras rapiuntur in auras! Uno ver-  
bo, fidei firmitas omnis atque ἀληθοφροσύνη, imò fides  
ipsa apud homines istos eruta & dejecta est, in  
quorum animi dubitationem cum venirent flu-  
mina & flarent venti, mens cecidit, quia non  
fundata erat supra firmam petram. Ergo  
non in Ecclesia persistunt aut modo vivunt Ro-  
manenses, quandoquidem Ecclesia Dei vivi sta-  
bilimentum est & columna veritatis. Huic  
fundamento fortiori superstruimus unicam qua-  
si periodum alterum demonstrationis membrum,  
quo Pontificios nostros à communione sancta  
fidelis Ecclesiae, tum à Deo ipso descivisse evin-  
cimus. Ab Antichristi vitiosam proprietate.  
Non autem hoc in loco ex pravitate vitae, do-  
ctrinae falsitatem arguere intendo, sed singula-  
res illas Antichristo passim assignatas notas in  
congregatione Pseudocatholica reperiri, ad ex-  
peri-



perientiam quotidianam provoco. Primum itaque vitium Pontificem arguens Antichristum, est Mendacium tam doctrinae, quam miraculorum, quia datum est ei os loquens magna, & blasphemias, traditiones hominum ipsi Deo summe exosas, unde caupones illi Pontificij Dei verbum adulterantes vanitatem pratumidam loquuntur, ipse Deus a. mittit illis efficacitatem deceptionis, ut ij qui pereunt, pro eo quod amorem veritatis non receperunt, credant mendacio cum omni fraude injustitia, idque eo magis, quod majora signa & prodigia mendacia edunt, ut etiam ignem faciant de caelo descendere in terram, in conspectu hominum, & si fieri possit, etiam seducantur Electi. Secundo est rasi gregis avaritia, quam a Pharisaeis Ecclesiae hostibus didicere, qui devorabant domus viduarum, quam rursus ab Antecessoribus suis fidelibus se defecisse manifestant. Sicut enim Ecclesia teste Gregorio proprias res amittere non debet, ita nec alienas ardore rapacitatis invadere. Jam ex quo decimae nimiae, pensiones, redditus, indulgentiae, fundationes, & alia? potius ex avaritia sacrificulorum plebi persuadente, quam ex hominum liberalitate missatoribus ultrò largiente.

D 2 Tertio

1. Nota.

Apoc. 13.  
v. 5.

2. Petr. 2.  
v. 18.

2. Thess. 2.  
v. 10. & 11

Apoc. 13.  
v. 13.  
Mat. 24.

2. Nota.

Greg. in  
Reg.



3. Nota.

2. Thef. 2.  
v. 4.

Cass. in  
Pfal. 10.

Esa. 42.  
v. 19.

Tertio Deniq; superbia, qua non modo semeti-  
psum extollit Romanus Pontifex, opponens ac  
efferens adversus id, quicquid dicitur DEUS  
aut numen, adeo ut in templo Dei, tanquam  
Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum; Verum  
etiam tyrannidem exercet in fideles, & facit, ut  
quicumq; non adoraverint imaginem bestie id  
est ipsum non ut vicariū Christi veriti fuerint,  
occidantur, cum tamen Christus discipulis suis  
de primatu contendentibus in primis humilita-  
tem commendaverit, & ut Cassiodorus ait, o-  
diosa superbie jaētantia, & divitiarum ambi-  
tus homines persequi faciat. Haud ulterius his  
est immorandum, complexum impietatis hujus  
& petulantia omnem, quantacunq; est titulo  
Papali, quo Servum servorum Dei se nuncupat,  
includimus, interim autem Monarcha Monar-  
charum potentissimus esse desiderat. Servus  
servorum non est humilitate, aut officiorum  
promptitudine, sed reliquorum omnium primus  
& eminentissimus, non autoritate fidei nec vite  
sanctimoniā, sed dominatione, heresum at-  
que vite pravitate, cui non malè quadrabit il-  
lud Propheta: Quis cæcus nisi servus meus aut  
surdus sicut nuntius meus? quem mittam?  
quis cæcus sicut est prefectus, & cæcus ut ser-

vus



vus Jehovæ? Patet ergo Pontificis Baalitas omni fide qua firma sit fiducia & per opera se exserat, planè destitui; Quare, cum ubi non est fides, ibi nec sit Ecclesia, nec illi se Ecclesiam jure dicere, aut rationibus ullis se esse, dabunt defensum. Sed ò moderni Esavite vos pejus agitis quàm Patres vestri; Ecce enim nec adhuc audivistis Dominum, nec inclinastis aurem vestram, sed hæreticæ novitatis B. Luterum incusantes, ambulatis unusquisq; post duritiam cordis sui mali. Ad alteram hujus membri questionem venio, quâ B. Lutero novitatem falsò impositam profligamus. In univèrsam autem B. Luterum religionem novam protulisse nos inficias imus, certò scientes, eandem modò prius dissipatam, recollectam, tenebrisq; obductam in lucem reductam fuisse, contrarium verò Esavitas in æternum non probaturos. Experta sunt Dei beneficio Comitæ Vormatiensia, Augustana, conventusq; alij, quanam religionis nostræ sit origo ac conditio. Si certe spiritu novitatis fuisset introducta, vel humanæ rationis dictamine excogitata nec coram unicò yeg. Qndi-danlo, nedum Imperatore Romano, Principibus Imperij, tot eruditissimorum virorum selecta concione, imò univèrsò mundò sibi constitisset,

Jerem. 16  
v. 12.

2. Quæst.



sed ut humana solent consilia, evicta scripturis  
occubisset, ad examen exquisitissimum obti-  
cuisset, sponte sua concidisset. At diversus rei  
vetustatem fidei nostrae patefecit eventus. In  
manibus adversariorum est Confessionis nostrae  
Concordia apologetica, videant, revideant,  
(quod jam diu fecere, nobis non invitis,) appen-  
dant sacrarum literarum equilibrium, assu-  
mant orthodoxa SS. Patrum scripta, scruten-  
tur ima veritatis abdita, cum dolore suo de-  
prebendent, B. Luterum cum universo fidelium  
coetu ad Prophetici Spiritus, praekonij Apostoli-  
ci, salvificae veritatis amissim, omnia quae do-  
cuit unquam, aut modo docentur, fuisse dimen-  
sum, hodieq; dirigi. Quam enim olim in scriptu-  
ris dictavit Spiritus sanctus fidem, eandem  
nullamque aliam Ecclesiae nostrae profitentur,  
quae tot miraculis est illustrata, tot SS. marty-  
rum cruciatibus & sanguine confirmata, prae-  
ter hanc altera per Ecclesias nostras nunquam  
sonuit, nec in animum à B. Lutero inducta est.  
Occurrendum autem hic est objectioni, quam  
inferre fortasse poterunt Apostolica Romana  
Ecclesiae Matheologi. Quod si, (namq; sic ijs in-  
ferre licuerit,) Luterus religionem novam  
non exorsus est, statuatur certe necesse est eam  
antea



antea fuisse, (sicut & fuit, quia verba Domini non transibunt). Atqui non habuerunt eam heretici tempora Luteri precedentes. Quapropter invictè sequitur, Ecclesiam Orthodoxam illam fuisse Romanam (Pseudocatholicam). Hinc tale dilemma: Aut fuit Ecclesia fidelis, à qua cum singulare quid habuerit Luterus, idem est hereticus & novator, aut Ecclesia prius non fuit, quod absurdum & impium, in Christi promissionem blasphemum. Insuper, si religio Luteri tanquam immediatè vocati doctoris à Deo nata, confirmanda fuit miraculis. Agite verò miserrimi missifici, quid aggravatis ejusmodi contortarum probationum plaustris opus? veritas profectò quæ simplex in se est & una, seipsam determinat. In initio quidem aliam novitatem veram, aliam apparentem esse definimus. Porro, cum Jեսua restauraret & edificari curaret denuò templum, post captivitatem Babylonicam, num aliquam populo subinferebat novitatem? interim in captivitate num interijt religio Domini, vel populus fidelis? Equidem haud reor. Hec historia sanè cõmunis intercedit cum B. Luth. reformatione. Deinde, doctrina nostra antiquissima est,

imò

Esrae 3.  
v. 3.



imò secretum illud salutis verbum, quod ex æ-  
terno sinu Patris prolatum est, quia consonum  
est auctoritati biblicæ, à qua non alienam, adeoq;  
novam religionem, sed à Romanis conciliabulis  
ac traditionibus remotissimam, ipsisq; penitus  
ignotam atque novam Luterus noster profiteri  
cœpit. Quin & haud externum specimen,  
splendor atq; visibilis multitudo, necessarium  
semper est Ecclesiæ nostræ, sicut nec ipsa mira-  
cula. Novit enim absq; signis istis DEUS, qui  
sint sui, præcipuè, cum nostra fides ante multa  
secula miraculis stabilita sit. Patrabant ma-  
gi ac incantatores Ægyptiaci, divinis per Mo-  
sen editis miraculis aliqua ferè similia, & ta-  
men virtute diabolicâ ad veritatem impu-  
gnandam. Imò de miraculis quid dicam?  
quantum miraculi prosperrimus ille repurga-  
tionis successus, & fœlix Evangelij cursus fue-  
rit, ex machinationum varietate periculorum-  
ve magnitudine discretus quispiam facile con-  
jiciat. Nec obscurum est sub persecutione Je-  
zabelis solum inter Prophetas remansisse E-  
liam, num tamen ille solus Ecclesiæ? minimè  
gentium; quia reservaverat in Israële Deus  
septem millia, omnia genua que sese non cur-  
vaverant ipsi Baal & omne os, quod non oscu-  
latum

1. Reg. 19.  
v. 14. & 18



latum erat eum. Fuit ergo Dei verbum & religio servata, etiam in medio Papatu, respectu sui consideratū, in scriptura sacra comprehensum; prædicationis vicem supplevit ipsa tum prælectio publica, licet multis in locis per interpretationem sinistram corrupta, suscepterunt etiam hanc ipsam fidem publicè per Sacramentum baptismatis, baptisati parvuli, martyres quoque pro veritate, sub Tyrannide tum aliorum, tum Antichristi Romani, sanguinem profundentes, ad quorum classem & orthodoxi Patres ac sinceri doctores temporis istius redigendi sunt; Hanc arripuerunt, huic firmiter innixi sunt, privatim primo pij multi, sed sub latibulo private devotionis, atque secundo multam vitam cum morte commutaturi, quorum procul dubio pars magna salutem æternam adeptæ est. Omnino fuit apud omnes omnium ætatum ac ordinum homines, ante repurgati verbi nitorem & Ecclesia vera, & veritas integra, licet occultè latuerit. Quemadmodum enim Sol à nubibus sæpe intercipitur, sed nunquam funditus suffocatur; ita veritas aliquando laborare potest, extinguiverò nunquam, Veruntamen interim apparentiam novitatis, reformationem Evangelicam in judicijs hominum præse-

E tulisse



tulisse, vel ultrò damus; quia quostam diu tra-  
ditionum humanarum angor exagitaverat,  
tunc divini verbi autoritas erigebat, quos ter-  
rorum & fulminum Pontificiorum inanis fra-  
gor horridumq; murmur diu perterrefecerat,  
divine gratie cœlestisq; consolationis abun-  
dantia suavissimè reficiebat. Aut quid admi-  
ratione dignius? quid novitati propinquius,  
quàm versutissimos Synagoga diabolicæ dece-  
ptores ab uno vexatissimo præcone convinci?  
Romanum Imperium magna cum accumula-  
tione, multorumq; desiderio ad unius senten-  
tiam inclinari? Quis unquam audivit ante-  
hæc talia? Verissimè, qui solus hostium pluri-  
morum insidijs intricatus evaserit, potentissi-  
mum illud elati Pontificis solium infregerit,  
prophetarum ac Apostolorum sensu mendacijs  
ante fascinos docuerit, fumigantem Verbi  
divini lucernam reinsflammaverit, hunc ipsum  
omnes in novitatis atq; sui splendoris admira-  
tionem facile rapere posse, doctrinam autem  
eius non novitati phanaticæ, sed vetustati bibli-  
cæ proximam atque similimam esse judico.  
Ceterum ad alterum illud, perjurij nimirum  
levitatem, quam B. Lutero turba Papicola-  
rum falsissimè imputant, me converto. Cœno-  
bitam

2. Memb.  
sive  
2. Calu-  
mniæ in  
Luth. re-  
futatio.



bitam eundem egisse, votis astrictum fuisse  
( de jure humano ) monasticis, eundem eadem  
retractasse, imo quia è traditionibus huma-  
nis orta sunt, penitus relegasse, violasse, quis  
est qui nesciat aut abneget? Nemo autem sa-  
crarum literarum gnarus, aut ab omni discre-  
tione vel etjam pietate tantum abfuit, qui vo-  
torum istorum renunciationem, levitatis ar-  
gumentum, conscientiaq, lesionem aestimare  
ausus fuerit, nedum B. Luterum perjurum pro-  
clamaverit. Et si verò summa scripturis in-  
sita votorum commutationis gravitas per se  
clara atque firmissima est, ostendendum tamen  
est Pontificijs vel cœcutientibus, veletjam vi-  
dere nolentibus evidentissimum istius rei fun-  
damentum. An igitur primum omne votum  
est & homini licitum & DEO gratum? a-  
gite Romani Rabula, quid videtur? Ut eò mi-  
nus subsit erroris & periculi, principio de votis  
in genere, deinceps & de nequissimis imò men-  
dacissimis claustralium nostrorū votis, ( si vo-  
ta dicenda sunt, ) in specie rationes afferte, sen-  
tentiam vestrā exponite. Hic Rhodus hic salta.  
Necessarium autem est fabulas ac commenta  
vestra Num. 30. capiti cedere, ubi pater filia,  
maritus uxoris vota, parcente Iehova facere

Num. 30.

E 2

potest



Matth. 11.  
v. 19.

Eccles. 5. v. 3

Eccles. 4.  
v. 17. & 5.  
vers. 2.

Gen. 28.

*potesſt irrita. Cur hoc? quia provenire pote-  
rant ex debiliore iudicio, quorum eventus non  
ad cultum pietatis, ſed ad ignominiam Dei, vi-  
rium ad viciam, propriaq; ſalutis discrimen de-  
veniat. Aut igitur cum ipſo Spiritu ſancto vo-  
ta Jephthæ & Michæ improbare cogimini, aut  
vos divina ſapientia prudentiores, cum filijs ſe-  
culi æſtimabitis, forſan ideo, quia juſtificata  
eſt ſapientia à filijs ſuis. Impotentes in ſuper ad  
reddendum vota aut ea perſolvere nolentes à  
votis abſtinere ſcriptura præcipit, votum, in-  
quiens, quod voveris Deo ne tardes reddere il-  
lud, quia non eſt beneplacitum Deo in ſtultis.  
In ſtultis, ait; in ijs qui neſciunt facere volun-  
tatem Domini, quia ſicut venit ſomnium ex oc-  
cupationis multitudine, ſic vox ſtulti talis ex  
multitudine verborum de rebus quarum ratio  
menti verè eſt incognita. His expeditis ulte-  
rius inveſtigamus, An omnibus temporib. vota  
congruant? Luterus ſanè noſter in 28. Geneſ.  
eruditè vota diſtribit in moralia & Ceremonia-  
lia. Moraliam ſunt aut pietatis aut cbaritatis.  
Pietatis vota primæ Decalogi tabule propria  
firmum propoſitum de vero Deo colendo, quale  
Jacob Patriarcha præſtitit, (erit mihi Dominus  
in Deum) & hoc ad primum, ad ſecundum præ-  
ceptum*



ceptum debita pro beneficijs divinis gratiarum  
actio, de qua David: immola Deo laudem &  
redde altissimo vota tua, ad tertium preceptum  
ministerij conservandi decimæ, primitiæ, mu-  
neraq; similia sunt referenda, de quibus Num.  
c. 18. Et alibi, quæ, (cum lex immota Dei sit Sa-  
pientia, nos etiam obligans omnino,) citra sin-  
gularem aliquam obligationem sive promissio-  
nem, Deo persolvenda sunt. Vota charitatis ad  
secundam Legis tabulã pertinentia libera sunt,  
quæ si vovere desieris, non erit in te peccatum  
nihilominus extra modum quoq; vel præscri-  
ptum voti, præter exactam divini mandati ra-  
tionem habitam, Deo per sublevationem proxi-  
mi accepta, proximo per opem liberaliorem u-  
tilia. Ceremonialia sunt illæ V. T. sacrificio-  
rum certorumq; rituum ac consuetudinum vo-  
luntarie sponsiones, qualia Nazæeorum &  
Rechabitarum, quorum illa cum lege sua Num.  
6. hæc cum observatione sua devotã Jerem. 35.  
Sed in Ecclesia N. T. lex ceremonialis expira-  
vit, sublata sunt igitur & ista vota, unde gregi  
rasorum nulla certe vivendi regula remanet  
excusatio vel exemplaritas, prætextus planè  
nullus. Deniq; cum res omnis & actio ex inten-  
tione judicanda sit, finem votorum certum de-

E 3

finire

Psal. 50.  
v. 14.

Num. 18.

Num. 6.  
Jerem. 35.



finire convenit. Hic autem in V. T. nunquam  
alius, præter divini nominis gloriam præfixus  
extitit, à quo quantum vota monastica distent,  
finis eorundem luculenter indicat. Hic enim  
nullus est alius, quam præter id quod justitia di-  
vine norma determinat, aliquid plus, non tan-  
tum sibi ad gratia meritum, sed etiam alijs ad  
peccatorum remissionem impetrandam atque  
pœnam diluendam, opere supererogationis (fi-  
ctitio, penitus impio, simulativè) præstare:  
quamobrem & illi qui votis istis pro virili satis-  
faciunt, vocem illam Jehova mihi videntur u-  
surpare: Faciendo faciemus vota nostra quæ  
vovimus, ut suffiamus reginæ cæli & libemus ei  
libamina; quibus Iehova: Confirmando confir-  
mastis & faciendo fecistis vota vestra. Cogno-  
scimus hinc, Auditores observandi, non omni-  
bus, omni tempore vota competere quæcunq; fu-  
erint, sed certâ lege, definito modò, justò fine li-  
mitanda fore. Quorsum igitur hætenus ista  
recensui? videndam exhibui votorum rectè  
dispositorum naturam & affectionem, ut accu-  
rata cultuum Deo placentium, & diabolicorû  
humane conscientie laqueorum habeatur di-  
stinctio. Jam in specie de votis irreligiosis illis  
(quasi) religiosorum inferre, non eadem esse  
vota

Jer. 44.  
v. 25.



vota cuius est obvium. Ad coelibatū initio nos  
conferam<sup>9</sup> examinaturi, num Deo placeat, aut  
an eundem quis q<sup>3</sup> vovere possit. Utrobiq<sup>3</sup> tene-  
mus negativam. Quamquam n. continentia sin-  
gulare donum à Deo (cui gratissimum) est, ac in  
V. T. nec Elias nec Elise<sup>9</sup> & in N. neuter Iohan-  
nes conjugati perhibetur, aut eos uxoratos fuis-  
se colligitur, non tamē sequitur aut illos ob con-  
tinentiam in se consideratam adeo præclaris do-  
nis insignitos, vel etiã nos per externum coeli-  
batū, interim mentis affectu qualitercunq<sup>3</sup> con-  
sentiente, sive repugnante gratiam acquirere  
vel posse vel debere. Quin potius cum omnibus  
eadem gratia data non sit ipsi Spiritui castita-  
tis & pudicitie sanctissimo, qui conjugium in  
statu integritatis ordinatum in scripturis pate-  
fecit, consilium sanctum communicanti paren-  
dum, ijs qui non continent nubendū, ac ne uran-  
tur matrimonium contrahendum. Prius a. cum  
spurcissima turpitudine Sodome ni resipuerint,  
adusti coelibes isti perituri sunt, quam Apostoli  
scriptum de ministrorum uxorib. pudicis ener-  
vaverint. Omnibus enitantur virib. & præce-  
ptum illud non planè libertatis à  $\alpha\lambda\gamma\epsilon\phi\omega\gamma\omega\nu$ , sed ne-  
cessitatis cuiusdã requisitum: Oportet Episco-  
pum unius uxoris esse virū; è sacris si poterunt  
eruant & avellant. At qua contra Pauli senten-



tiam pereffronti cœlibem vitam defendent in-  
verecundiâ? quippe prohibitionem conjugij no-  
tam Anticristi, doctrinam dæmoniorum ap-  
pellat. Nota non referam, ex antiquis variorum  
temporum historijs, bodieq; testis est experien-  
tia, quàm frequenter abominandas cœlibatus  
iste pollutiones gignat ac genuerit, cum divina  
justitia sæpius idolatrie pœnam impuris homi-  
nibus immittat, libidinosam commixtionis ma-  
culam. Atq; banc ipsam ob causam, cum instin-  
ctum nature, generationis appetitum, commu-  
nem scandalorum magnitudinem Orthodoxi  
Patres olim agnoscerent, ita decreverunt, ut, si  
quis incontinentem se non erubesceret profite-  
ri, in languorem incontinentiæ reclamanti non  
denegaretur remedium nuptiarum, quia hæc  
est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut absti-  
neatis vos à fornicatione. Suffragatur his  
Augustinus ita scribens: Quidam nubentes  
post votum asserunt adulteros esse, ego autem  
dico vobis, quod graviter peccant, qui tales di-  
vidunt. Causam exigitis? Ubi necessitas impo-  
nitur castitati, autoritas datur libidini, itaq;  
nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta quæ  
mercede conducitur. Aut quid prodest integra  
caro mente corrupta? Virginitas mentis est  
inte-

Hier. in 7  
cap. 1. ad  
Cor.

1. Thess. 4.

Lib. de bo-  
no Con-  
jug. &  
hab. di-  
stinct. 27.

Idem Au-  
gustinus.



integra fides, solida spes, charitas sincera. Denique nomen Eunuchorum apud Esaiam, figuratè pro convertendis gentibus, apud Mattheum, pro ijs, qui singularem habent gratiam, regnum caelorum a. utrobique pro regno gratiae, quod est Ecclesia, positum ex contextu colligitur. Praeterea votum paupertatis Pontificiae quale sit, indicant agrorum arva plurima, testes sunt infiniti pagi, perhibent amplissima praedia, miserimi conqueruntur subditi. Sunt nihil habentes & tamen omnia possidentes. Egregia sanè Paulinae sententiae applicatio. Humiles sine despectu, pauperes sine defectu, delitijs diffluunt, divitijs abundant, honores accumulunt. Ubi voti executio? Ubi paupertatis professio? nullibi iuramenti religio. Sed quid de Monastica dicendum est obedientia? quae contra praeceptum expressum Domini mancipat ad observationes contra conscientiam, & horrendam idolomaniam. Profectò magis est obediendum Deo quam omnibus hominibus. Tanta est a phorismi huius Apostolici autoritas, ut regularum, statutorum, ordinum, mancipatum excedat universum. Tam forti sumus, Servatoris unice mandatis vinculo subjugati, quàm incomparabili nos precio redemit, quam severo nobis iudicio leges ob-

F

ser-

Idem in  
Psal. 29.  
& 17.  
Esa. 55, 4.  
Mat. 19.  
v. 12.



servatu dignissimas atque necessarias sanxit,  
promissionibus ob signavit, premijs insignivit,  
quia omnia judicia & mandata Dei veritas, i-  
pse est, qui habet verba vite. Dum itaq; votis  
istis B. Luth. noster remisit nuncium, an per-  
jurij scelus admisit? Absit. Per se non honorum  
erat avidus, sed legitimis superiorib. subjectis-  
simus, frugalitati summopere studebat, divi-  
tias istius mundi pro nihilo reputans, ut Chri-  
stum lucrifaceret, nec unquam libidinoso spiri-  
tu per omnem vitam legitur actus, ne tamen  
cuig; de vita sua integritate doctrinam atte-  
rens oriretur scrupulus, aliq; cum Ecclesiâ fide-  
litotâ successores sui, beneficio libertatis Christia-  
ne laqueos sibi injici non concederent, votis va-  
ledixit. Econtra votifragi sacrificulorum ut  
plurimi varijs ac abominandis modis sunt per-  
juri, B. Lutero id quod periculosum est in secu-  
ritatem transferente, siquidem ipse, quod & ho-  
nestatis erat externa indicium, tum honori di-  
vino familiare tum saluti hominum affine, pig-  
attendit, memor decreti illius sanctissimi: In  
malis promissis rescinde fidē, in turpi votō mu-  
ta decretam. Quod incautē vovisti ne facias,  
impia est promissio quæ scelere adimpletur. Ita  
nunc quoq; B. Luterus ab altera illa, quæ vitam  
ejus



ejus attingit, injuria vindicatus est, cui coronidis loco tertiam illam de peccandi libertate contumeliã subjecimus eandem falso nobis imputatam repulsuri. Pontificij calumniandi causam inde depromunt, quod cum B. Luth. nosq; cum ipso opera ad salutem non necessaria, deinde gratuitam omnium peccatorum ob J. C. meritum susceptionem doceamus, inde peccatis omnib. laxissimam viam pandamus. Verum uti religio nostra non desperationis precipitium proponit, ita nec securitatis januam cuiquã aperire presumit. Rectè distinguantur ordinati nostrorũ operum fines, & invenient adversarij, divina justitiæ suam, humanæ v. nequitie legem arctissimam atq; prohibitionẽ à nobis tribui. Notum est ex historijs adamantem, si quis eum degluti-  
verit, presentissimum homini ob venenosam sui affectionẽ, vitæ afferre periculum, nihilominus ad avertendam animo tristitiam ac inducendã magnanimitatẽ perhibetur esse utilissimus. Ita quoq; cum humanis operib. est comparatum, ad salutẽ non prosunt, nec tamẽ ideò sunt intermittenda, quia sunt integra fidei testimoniũ, conscientia exhilarat, humanæ societatis vinculu obstringunt, certaq; vitæ presentis premia consequuntur. Dum ergo B. Lut. hoc docuit, nemini peccata permisit, sed

3. Calum.  
niæ refu-  
tatio,



1. Probar.

sed scopum verum pietatis demonstravit, à quo peccatores omnes aberrant longissimè. Quod autem neminem ad impios mores doctrina nostra provocet, conciones illæ Legales, quæ tum à B. Lutero, tum à nostris hodieq; fiunt, in quibus horrenda justitiæ divinæ ira, comminationes gravissimæ, pœnæ intolerabiles obstinatis proponuntur, ad oculum demonstrant. Nec ob-

2. Prob.

ticendum est illud obedientiæ novæ, quod in conversis requirimus, propositum, non quod id meriti vel compensationis loco reputem, sed quod infallibile quoddam fidei bonæ veræq; immutationis consequens & argumentum statuamus.

3. Prob.

Ad quem a. alium finem magistratum omnem veneramur & honore debito prosequimur, nisi ob bonorum defensionem, malorum castigationem, diversis diversa delicta puniuntur supplicijs, ut honesta conversationis politica conservetur disciplina, & justitiæ distributivæ inter nos cuique jus suum assignare videatur. Ad finem propero, provocamus ad disciplinam Ecclesiasticam, concionum frequentiam, honestatis ac virtutis studium ac conatum solertissimū.

Inversio  
Pontif.

Ex opposito per quem plura peccatum provocantia præbentur argumenta, quàm per sanctulos illos, si dijs placet Romanenses. Sunt ibi  
tam



tam enormia scandala, ut inferiores à superioribus ad varia nefanda scelera incitentur, Indulgentiarum mercaturam appello, qua tum culpam tum poenam omnem etiam temporalem are redimi suis persuadent. Quod si peccatis etiam maximis obruti vitam finiverint, in ignem remittuntur purgatorium, quem omnem maculam eluere fabulantur. Ab ipsis itaq; potius lata peccandi via sternitur Pseudocatholicis, in vita, post mortē suis a seclis remedia salutis nocentissima propinando. Sic ergo B. Luterum nostramq; religionem pro ratione virium & temporis defensam dedimus scientes, aduersus Ecclesiam Dei nec portas inferorum prevalituras. B. quapropter Luterus gloria dicitur altitudinis omni iure, firmamentum puritatis, species cœli visu præclara, Sol lucem annuncians in ortu suo, machina admirabilis, opus altissimi; Per hunc Dominus magnam gloriam acquisiuit, in fœdere comprehensa est hujus progenies, eidemque succedens posteritas, posteritas ejus manebit in perpetuum, nec gloria ejus oblitterabitur: Justus hic ut palma florebit in domo Domini sicut Cedrus Libani multiplicabitur, in memoria erit aeternâ, ab auditione malâ non timebit. Populi prædicant ejus sapientiã, cœtusq;

Eccl. 43.



hominum laudes illius celebrant, circum circa  
hostes attrivit & veritatis inimicos redegit ad  
nihilum, adeo ut cornu eorum etiam hodie fra-  
ctum sit. Quam sapiens in obscuritate factus  
est, & fluminis instar repletus intelligentia, ?  
animus tuus, o vir Dei, terram omnem operuit,  
nomen tuum procul ad insulas usq; pervagatum  
est, paceq; tua charus fuisti, qui quoddam in  
manu dextra sigillum es. B. Luteri memoria  
fausta sit atq; beata, anima ejus letetur in beni-  
gnitate Dei, neq; nos laudis ipsius pudeat, habe-  
bit fructum in sanctarum animarum respectione,  
ejus caro habitabit confidenter. Ad vos proinde  
Audit. Colendis Rector Magnif. Viri Reve-  
rendi, Consultiss. Experientiss. Clariss. gratia-  
rum actionem, utinam eam quam deberem, di-  
rigo, vobis, una cum Ornatissimorum Domino-  
rum auditorum concione doctissima Humanissi-  
ma singulares animi demissi gratias proferens,  
quod audire me cum silentio, conatumq; meum  
etsi tenuem auditoribusq; tantis longè inferiore  
cohonestare ac adjuvare non estis dedignati  
vel veriti: ac M. Rde Cli ac Excellence Vestrae, tum  
& Humanit. Ornatiss. pro virium mearum fa-  
cultate, debitam observantiam, animi prompti-  
tudinem, obsequia, studia queq; possum amoris  
ac



ac benevolentiae officia de vobis eventus pro-  
missionum mearum declarandi studiosissimus.  
Tibi verò, ò aeterna Patris sapientia, laudes ce-  
lebramus immortales, quod extremis hisce tem-  
poribus, populo qui sedebat in tenebris, lux orta  
est ex alto, ut nobis, qui sedebamus in umbra  
mortis, pedes jam directi sint ad viam pacis,  
circumfulsit nos gloria tua, & magnificatum  
est super nos nomen tuum sanctum, avertisti te-  
nebras & ecce facta est lux, pro fallacijs misisti  
veritatem, eruisti oculos nostros à lacrymis  
pedes nostros à lapsu, vel ut aquila renovasti  
juventutem nostram, gloriam tuam ostendisti,  
misericordiam & salutare tuum dedisti nobis:  
Qui solus igitur ubiq; magna facis, qui nobis ab  
utero incrementa vitæ das, ac nobiscum pro tua  
misericordia agis, da nobis Domine cordis leti-  
tiam, nostrisq; temporibus pacem concede, ut  
priscis seculis in Israel, misericordiam tuam in  
nobis fac ratam, nosq; temporibus istis periculo-  
sissimis redime, serva nos à laqueo linguae calu-  
mniatricis, & blasphemantium nomen tuum  
mendacio deditorum, contraq; tuos & Ecclesie  
adversarios fer nobis auxilium, nosq; pro magnitudine  
misericordiae tuae libera à fremitibus eorū, qui ad nos de-  
vorandos parati sunt, recordare misericordiae tuae Domine  
& bu-



*Et hujus consuetudinis qua usus es à seculo, ne  
derelinquas nos in diebus afflictionis, quoniam  
tu liberas eos, qui te expectant, atq; è manibus  
gentium vindicas, serva nos ab interitu, atque  
à tempore malo libera famulos tuos, quos pre-  
cioso sanguine redemisti: tum laudabimus no-  
men tuum assidue, Et cum gratiarum actione  
decantabimus, propterea tibi gratias agemus,  
laudesq; tribuemus ac nomen tuum celebrabi-  
mus. Fiat misericordia tua Domine super nos  
quemadmodum speravimus in te, DEUS  
salutis nostrae, spes omnium finium  
terrae.*

**D I X I.**





99 A 6908

ULB Halle 3  
002 927 25X



Handwritten initials: JB

Retro 1


VDA 17












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



# NATI MEMORIA.

hoc est:


LIS ET ADMIRAN-  
HORRENDIS PONTIFI-  
ELIS, REFORMATORIS  
D. M. LUTHERI DE-  
NSIO,

*dam Romanensium calum-  
ni de Ecclesiâ DEI optimè meriti  
um ad salvificæ veritatis autori-  
tatem ad ingenuam  
Patronis atq; preceptoribus suis  
ustificandam, B. LUTERVS  
ibus vindica-  
ur.*

at dissertationis stylo tenui  
ense Novembri Anno 1613.  
VITTEBERGENSI  
itata,

LOSIO WRATISLA-  
SILESIO.

n & postulationem cum permisso  
s publicis commissa,



EBERGÆ,  
Impensis Pauli Helwichij.  
cIo Ioc XVI.

4

